



PROOEMIUM

Euoluenti mihi nuper HIPPOCRATIS Cui monimenta, quibus vera doctrinae medicae femina contineri aiunt, qui acutioris in indagando naris sunt, occurrit peropportune hoc effatum *) praeclarum et nostra adhuc aetate verissimum:

Qui sic medicinam nouit, minime fortunam respicit aut expectat, sed et citra fortunam, et cum fortuna, recte faciet. Constans enim ac firma est tota medicina, et doctri-

A

nae

*) De Loc. in Hom. §. 58. p. 399. T. I. ed. LIND.

nae optimae in ipsa compositae, minime fortuna egerè apparent. Nam fortuna sui iuris est, et nullius imperio subest, neque optantis est ad ipsam peruenire. Scientia vero imperata facere cogitur, et facile est, ipsam feliciter adsequi, si quis sciens uti velit. Deinde vero quid opus est medicinae fortuna? Si enim morborum medicamenta clara sunt et manifesta, velut equidem arbitror, non exspectant sane fortunam ad sanandos morbos, siquidem sunt medicamenta. Si vero cum fortuna exhibere ipsa prodest, non magis medicamenta, quam ea, quae non sunt, faciunt. Quicumque vero fortunam ex medicina aut alia quapiam arte expellit, dicitque eos, qui probe rem aliquam sciunt, fortuna non uti, is contrarium mihi iudicare videtur. Mihi enim soli hi fortunate adsequi, itemque infortunate non adsequi videntur, qui recte quid, et male facere sciunt. Fortunate enim adsequi, est recte facere; hoc autem qui sciunt, faciunt. Non adsequi autem hoc est, si quis non sciat, hoc non recte faciat. Indoctus autem qui est, quomodo fortunate adsequi possit? Si quid enim et-

iam adsequatur, non memorabilem sane successum habebit. Qui enim non recte quid facit, non fortunate adsequi poterit, cum reliqua, quae aequum est facere, non faciat.

Ex his colligitur, diuinum senem aut quisquis auctor libelli est, vere naturaeque rei perapposite statuisse, bonum fortunatumque medicum futurum neminem, nisi qui litteras et disciplinas medicas rite didicit, et vbi ad aegrorum lectulos ventum est, doctrinam singulis morbis bene accommodare nouit, non nomina morborum, non pyxides et medicamentorum farraginem sufficere, parum aut nihil valere casum fortuitum atque opinionem vulgi ad medici boni dignitatem et consequendam, et integram seruandam; contra infelicem futurum, cui haec ingenii doctrinaeque medicae bona defint, et etiam si interdum salus aegri reddatur, illud non arti, sed benignitati morbi et naturae aegri deberi; hinc cauendum videri medicum, qui tabernam medicamentariam, tonstrinam, sutrinam vel ouile olet, quia quod quis ignorat, nec habet, nec inuenire, nec adhibere potest, et poetae elogium,

Quot Themison aegros autumnno occiderit uno

illi accinere aequum est. Neque tamen sperendam adeo fortunam esse, quia medici officia sine hac dextre obiri non possint.

In quo quia etiamnum delinquitur, et multi sunt, qui medico optimo detrahere se posse putent, si fortunam ei adesse aiant, scientiam negent; operae pretium esse duxi, hoc potissimum argumentum mihi sumere, et, quam qualemque *fortunam medicam* esse statuam, quid in hanc *res externae* valeant, edisserere. In his vero principem locum occupare videtur *prudentia medica*, quia sine hac nec ingenii acumen, nec doctrinae praestantia, nec morum castimonia, nec religionis vis, vlla sunt.

Qua de re placet vtrumque coniungere, et medicorum oseres docere, quam male intelligant, qui bonus malusue medicus habendus sit: Quos ego, quia haud raro sibi soli sapiunt, *moneve *) possim; corrigere non possim.*

DISSER-

*) Vide, si placet, locum AVGVSTI ap. MAEROR. Saturn. II. 4.